



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Handleitung Zu leichterem Gebrauch Der Geist- und Sittlichen Unterrichten In Ewigen Wahrheiten

**Calino, Cesare**

**Augspurg ; Graez, 1744**

**VD18 80280064**

In Festo S. Andreae Apostoli.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49389](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49389)



INDEX  
 CONCIONATORIUS  
 IN FESTA  
 TOTIUS ANNI.  
 IN FESTO S. ANDREÆ  
 APOSTOLI.

I.

*Venite post me, & faciam vos fieri pisca-  
 res hominum. Matth. 4.*

Jubet Christus Petrum & Andream venire post se, ad sui imitationem invitatur, primùm ut sibi operam jungerent in prædicando, & deinde in morte quoque crucis ipsum imitarentur. Et profecto felix uterque fuit, dum tam Petrus quàm Andreas crucifigi meruit. Quàm alieni nos sumus ab exemplo & promptitudine Andree! ille continuo relictis retibus secutus est Dominum: nos crucem & tribulationem totâ contentione fugimus, cum tamen ille simplex & rectus fuerit, nos verò simus peccatores. Nobis DEUS calamitates immittit in pœnam peccatorum: cum ergo rei simus, ex justitia nos subicere debemus cruci & flagellis Dei. *Mense LV. Disc. 121. pag. 556. usque ad num. 8.*

2.

2.

*Faciam vos fieri pisces hominum.*  
*Matth. 4.*

Vocavit Christus Andream ad imitationem sui in prædicando & patiando ; nam sicut ille de seipso dixit: *Cum exaltatus fuero, omnia traham ad meipsum* ; sic Andreas in cruce jam pendens prædicavit, multosque ad Christi fidem pertraxit. Hæc fuit causa, cur tam ardentè festinaret ad crucem, quam veluti singulare Dei beneficium amplectebatur. Imitemur eum, libenter ferendo crucem ; nam calamitates sæpe sunt beneficium à Deo nobis concessum : ergo etiam ex gratitudine nos divinæ voluntati subicere debemus. *Mense IV. Disc. 121. pag. 565. à num. 8. ad num. 15.*

3.

*Continuò relictis rebus secuti sunt eum.*  
*Matth. 4.*

Secutus est Andreas Christum, homo Deum, discipulus magistrum, servus Dominum, paratus omnia facere & pati, quæ ille iussisset. Agnovit, non meliùs se suam Domino probare fidelitatem posse, quàm si probationes licet acerrimas ab illo impositas fideliter sustineret. Volumus & nos fidelitatem nostram Domino probare? Sustineamus patienter calamitates ; hæ enim sæpe ad probationem & meritum nobis immittuntur. *Mense IV. Disc. 121. pag. 579. à num. 15. ad finem.*

4.  
*Faciam vos fieri pisces hominum.*  
*Matth. 4.*

Egregius profectò hominum piscator fuit S. Andreas, qui tot peragratus provincias innumera animarum lucra fecit, & institutis in Achaia Ecclesiis, cùm propter fidem captus & cruci affixus est, in ipsa cruce per triduum pendens non cessavit prædicare Christum & homines ad fidem adducere. Possumus & nos fieri pisces hominum, si omne bonum, quo ad salutem indigent, non solùm illis optare, sed etiam precibus nostris à Deo obtinere fatagamus. *Mense VIII. Disc. 224. pag. 171.*

## IN FESTO S. NICOLAI EPISCOPI CONFESSORIS.

1.  
*Euge serve bone & fidelis.* *Matth. 25.*

Hunc boni & fidelis servi titulum eminenter meritus est S. Nicolaus, qui talentum sibi creditum ad miserorum subsidia impendit, atque ita Christi voluntatem perfectè implevit, qui, quæ pauperibus dantur, sibi dari sæpe asseruit. Planè nobis amplectenda misericordia est, cùm ipsam à Deo nobis mandari, & illi gratissimam esse noverimus. *Mense VIII. Disc. 228. pag. 240. usque ad num. 14.*

2.  
*Intra in gaudium Domini tui.* *Matth. 25.*  
 Hæc est merces misericordiæ, ut eam Deus  
 mul-